



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium**

**Brusch, Kaspar**

**Nürnberg, 1682**

Mons Monachorum, Münchsberg/ ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

S. Theodoræ cœnobium translatae sunt. In ea ipsa vicinia est moledinariii saxi egregius scopulus, in quo mirabiles & amplæ videntur cavernæ, è quarum regione sunt etiam alia similia saxa S. Theodorici & S. Wolfgangi mirabilibus cavernis plena.



**M**ONS MONACHORUM, *Münchsberg*/ amplissima atque moenissimaq; extra muros Bambergensis civitatis sita Abbatia, monachorum Benedictinæ sectæ seu professionis, fundatur annum Christi circiter 1008. in honorem S. Michaelis Archangeli, unâ cum ipso fere Episcopatu Bambergensi à S. Henrico Imperatore Claudio, ejusque conthorali Sancta Chunigunde Palatinissâ & Imperatrice. Is Henricus Imperator, hujus nominis secundus, ac primus, qui ab Officialibus seu Electoribus Imperii in Regem Romanorum electus est, in Norico natus legitur patre Henrico, inclyto Bavarorum ac Norici Duce, qui, diminuta voce per tapinosin quandam *Hezelimus* dictus, anno Domini 1001. inter mortales esse desit, Ratisbonæ ad S. Emeranum cum tali epitaphio sepultus.

*Henrici  
II. Pater.*

*Henricus Regis Pater, est defensor legis,  
Bavariæ cultus, pius est dux ille sepultus.*

*Claudus  
unde factus sit  
Henricus II.*

Ratio vero fundati hujus cœnobii hæc Imperatori Henrico fuisse perhibetur. Ajunt illi in secretiori quodam sacello devotius aliquando oranti apparuisse Michaelem Archangelum, qui femur Regis tangens (unde claudus factus esse legitur, qui rectus prius incefferat) Evangelicumq; codicem osculandum ei porrigens, in hæc verba eum consolatus sit: *Ne timeas, electe Dei, velociter surge atq; hoc signum pacis divinitus tibi transmissum suscipe, Deiq; cultum strenue propagare perge.* Postea ex Apulia in Germaniam (feliciter ibi confecto bello) redeunti & apud Cassinense monasterium gravius ex calculo decumbenti Deoq; precibus iterum vehementer instanti S. Benedictus per quietem oblatus dicitur, qui, exciso sine doloribus calculo vulnerisque hiatu pulchre sanato, optimæ valetudini Regem feliciter restituit. His miraculis Regem motum, cum Bambergam redisset, in memoriam

*Calculi  
cura mirabilis.*

nam harum salutarium sibi ac adeo prædulcium apparitionum sempiternam, in honoremq; S. Michaelis Archangeli Divique Benedicti Abbatis cœnobium hoc Montis monachorum construxisse, idemq; munificentissime dotasse ajunt. Visitur hodie adhuc ante fores templi, quod est in Monte monachorum præcipuum, imago quædam Henrici hujus fundatoris, ubi in testimoni-  
 monium quassati femoris & claudicationis lapillus sinistro ejus  
 pedi à pictore studiose subiectus est. Alia de hoc Imperatore  
 Henrico multa leges, cum in aliis monasteriis ab eo erectis ac  
 liberalissime donatis, tum in opere, quod brevi (Deo volente ac  
 favente) de omnibus totius Germaniæ Episcopatibus publica-  
 turi sumus.

*Imago  
Henrici  
II. in mon-  
te mona-  
chorum.*

Cum vero cœnobium hoc, postea successu temporum ali-  
 quid calamitatis ac infortunii perpeffum, ruinam ab omni parte  
 minitaretur, ejusq; tamen ob situs partim amœnitatem, partim  
 vero primæ foundationis autoritatem miro teneretur studio S.  
 Otho, Babenbergensis Ecclesiæ Episcopus octavus, renovatum  
 ab eo non tantum, sed & auctum ac ditatum est anno Christi 1126,  
 ac ita in deliciis habitum, ut ipse non solum habitationem etiam  
 sibi certam ibi elegerit, sed & in ejus loci templo primario sepeli-  
 ti voluerit: in cujus choro magnificum cernitur ejus Mausoleum  
 cum hac chronologica inscriptione:

*S. Otho  
Episcopus  
Bamber-  
gensis re-  
novat  
mona-  
sterium  
Mönch-  
berg.  
Monu-  
mentum  
ejusdem.*

Anno Domini 1102. tertia Id. Maij ordinatus est in Episco-  
 pum S. Otho. Anno 1140. secunda Kalend. Julii obiit S. Otho.  
 Anno 1189. secunda Kalend. Octobrium translatus est S. ac Deo  
 dignus Episcopus Bambergensis & Pomeranorum Apostolus.

*Monu-  
mentum  
ejusdem.*

Catalogum ejus Abbatia patrum ac gubernatorum omni-  
 um ex veteri quodam monasterii Chronico variisq; ejusdem  
 chartis ac diplomatibus collegi talem, quo frueri lector & no-  
 strum ornandæ patriæ studium bene interpretare.

1. *Ratto*, ab aliis *Rapatba* dictus, anno 1015. montem S. *Abbatum*  
 Michaelis inhabitare cœpit, cui præfectus est ab ipso rege Hen- *series.*  
 rico secundo & ejus conjuge S. Cunigunde. Eodem anno fun-  
 damenta monasterii locata sunt: & anno secundo Domini Hen-  
 rici secundi, Abbatia templum dedicatum. Præfuit sanctus ille  
 & ve-

Rr

& ve-

& venerabilis Pater annis quinq; . Obit anno 1020. 17. Kalend. Febr. Ubi positus sit, ignoratur. Literæ foundationis ei traditæ hunc habent de verbo ad verbum tenorem:

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia secundus, Romanorum Imperator Augustus. Nosse volumus industriam Christi fidelium, tam futurorum quàm præsentium, quod imperiali sancimus edicto, ut in prædiis, quæ divinæ intuitu pietatis Ecclesiæ S. Michaelis Bambergensi, unà cum dilecta conjuge nostra Cunegunda, pro nostrorum eorumq; (quorum debitores sumus) remedio animarum imperiali contulimus munificentia, tredecim videlicet principalibus curtibus, Ratelsdorff, Ezelkirchen, Rodeheim, Belbenhusen, Werde, Wofurte, Dorfflin, Ebelsfeld, Leitterbach, Elfendorff, & circa Wederebam Scherstein, Hufen & Budensheim, cum omnibus villis attinentibus in prædiis etiam ubicunque conquistis & conquirendis, dictæ procuratores Ecclesiæ locandi, instituendi, destituendi ac in melius commutandi: mansos, feuda, areas, prata, vineas, silvas, cæteraq; mobilia & immobilia, ad placitum sui Abbatis ac præceptoris liberam habeat potestatem: quibus etiam placationis offensarum, satisfactorum vel emendas excessuum vel injuriarum in omnibus causis civilibus, tam in tribus placitis Maij, Autumni & Februarii, quàm in omnibus plane negotiis, ab universis Ecclesiæ colonis volumus exhiberi. Cæterum si coloni in litibus causarum decidendis inter se dissentiunt, ad proximam curti Marchiam eos pro sententiis ferendis statuimus habere recursum. Si vero casus perplexus fuerit & difficilis, ad caput claustrum, videlicet ad Abbatis præsentiam recurrant. Sicque Abbas, majoribus & melioribus suæ familiæ convocatis, ipsorum consilio (quod justum est) ordinet ac disponat. Debita servitia aratorum tribus vicibus in anno, ovorum in Pascha, caseorum in Pentecosten, pullorum in carnis privio, & hebdomadalia servitia dictæ nostræ Ecclesiæ ab omnibus, ut condecet, impendantur. Censum autem ultimum, per quem utique omnia vel neglecta suppleantur servitia, jus videlicet capitale, à viris decedentibus optimum equum, vel  
si equo

si equo carent, optimum caput pecoris, & à foeminis induvias & exuvias transmitti ad Ecclesiam ordinamus, ut cum famulis Ecclesiae in divinis servitiis communionem plenariam consequantur. Hujus instituti auctoritas ut omni aëvo stabilis inconvulsa permaneat & inviolabiliter ab omnibus observetur, hanc chartam inde conscriptam, sicut inferius apparet, sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Data nonis Februarii, Indictione 12. anno Dominicæ Incarnationis 1015. anno Domini Henrici secundi regnantis. decimo sexto, Imperii autem quarto. Actum Francofordiæ feliciter.

Eodem anno Imperator concambium fecit cum Poppone, Fuldensi Abbate, dans ei propagis Ratelsdorff & Etzelskirchen <sup>Ratelsdorff.</sup> alios duos videlicet, Unaraham & Bereschich. Eodem anno concambium fecit etiam cum Abbate Hersfeldensi, Arnolde super quibusdam locis. Actum Francofort.

Dedit huic Abbati idem S. Henricus prædium Gimmaschheim cum omnibus adjacentibus sibi anno Domini 1017. quod erat in Comitatu Zeisolfphi Comitis, in pago Wormesfeld, quod dilectus ejus facellanus Rothardus Cæsari contulit & donodedit. <sup>Gimmaschheim. Wormesfeld.</sup> Actum Aquisgrani.

Dedit & Lantheshovium, in Comitatu Ernfridi Comitis situm, anno Domini 1019. & proprietatem in loco, Schwindelingen dicto, anno 1017. <sup>Landeshoff.</sup>

2. *Henricus* præfuit feliciter 46. annis. Obiit anno 1066. septimo Iduum Octobris, vir miræ secundum Deum pietatis & scientiæ, secundum seculum magnæ nobilitatis & strenuitatis. Dedit coenobio cruces argenteas duas. Hujus secundo anno dedicavit Episcopus Eberhardus templum coenobii quarta Nonarum Novembrium. Huic consecrationi interfuerunt Erbo Archiepiscopus Moguntinus, & Pilegrinus Coloniensis, alique plurimi.

3. *Adelhelmus* suscepit curam hujus loci pastorem tertius anno Domini 1066. Præfuit annis quinq;. Obiit anno Domini 1071. pridie Idus Maij. Hic summo studio nunquam non psalterium choro interfuit, primus intrando & ultimus egrediendo. <sup>Pietatis studiosus. Abbas.</sup>

Rr 2

Tan-

*Tantopere pietatis erat studiosus amansq.*

Huic ipsi talem scripsit epistolam Pont. Max. Clemens II. antea Suidegerus dictus, Episcopus Bambergensis:

Clemens Episcopus, fervus fervorum Dei, Adelhelmo, Abbati monasterii S. Michaelis Archangeli, Babenbergæ positi, perpetuam in Domino salutem. Omne ædificium, quo profundiore nititur fundamento, eo ampliore roboratur firmamento. Fundamentum autem aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus, Deus noster, super quod primus ædificatus est Petrus, cui ipse dixit: tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Ecclesia vero cum sit una, particulariter tamen divisa, Ecclesias alias veluti filias nomen matris habentes habet. Generalis igitur Ecclesia in Petro, speciales illæ constitutæ sunt in multis pro labore difficultatis. Quicquid tamen est Ecclesiarum ubique terrarum, semper respicit ad Apostolicum firmamentum & fundamentum. Quapropter, fili charissime, Abba reverendissime, juste & rationabiliter visum est tuæ experientiæ, postulare à nostra (ubi indigne sedemus) Apostolica sede scutum firmissimum, robur validissimum vestro monasterio pro bonis, quæ modo habet & in perpetuum habiturum est. Quod quidem voluntate promptissima concedimus & toto animo annuimus. Præsedimus enim sanctissimæ Babenbergensi Ecclesiæ quamvis indigna pastoralitate, & ipsi vestro monasterio dilectionem non modicam exhibuimus, invitante & quodammodo compellente nos exemplo beatissimæ memoriæ Domini Henrici, Serenissimi Imperatoris, ejusdem Ecclesiæ conditoris. Et promovit nos divina dignatio absque ullo nostro merito, & propterea nostro repugnante animo in culmen Apostolicum, in fastigium omnium Ecclesiarum, ubi est totius Christianitatis fundamentum, quod tibi bene visum est, & nobis bene esse videtur, scilicet ut omne bonum vestri monasterii præsens & futurum sic nostra Apostolica auctoritate roboretur, ut à nemine mutiletur. Statuimus igitur Apostolica censura sub Divini iudicii obtestatione, ut nulli unquam Duci, Marchioni, Comiti, Vicecomiti, Casteldioni, nec præterea ipsius loci

loci in posterum Episcopo, extra Canonicam auctoritatem, nulliq; personæ horum liceat auferre de bonis, quæ ipsi monasterio sancti Archangeli Michaelis per prædictum sanctissimum Imperatorem Henricum collata sunt & ab alijs Christi fidelibus, & etiam quæ sunt in perpetuum conferenda, ut quicumque id tentaverit, sciat, se excommunicationis vinculo ligatum & etiam anathematis lancea perforatum nostræ Apostolicæ potestatis vigore, donec, quod injuste abstulit, iuste restituat. Qui vero defensor & observator extiterit eorum bonorum, ille benedicatur ab eo, qui est benedictus in secula seculorum. Bene valete. Data XIII. Kalend. Maij per manus Petri Diaconi, Bibliothecarii & Cancellarii sanctæ Apostolicæ sedis anno Domini Clementis Papæ secundi primo, Indictione xv.

4. *Rubertus*, cognomento *Numularius*, ob insigne pecuniarum studium ac insatiabilem habendi cupiditatem, præficitur anno Domini 1071. Resignavit mox eodem anno & discessit alio. Habuit enim plures Abbantias suæ gubernationi commissas. De eo plura lege in Augia divite.

5. *Egilbertus*, alibi *Ecbertus*, præficitur anno 1071. post resignationem Ruberti, qui & ipse mox discessit, eo quod plures haberet Abbantias. Sepultus est in monasterio Schwarzach, ubi miraculis claruisse legitur.

6. *Vto* vel *Otho Levita* constituitur anno 1072. Sedit annis 10. Obijt anno 1092. pridie Id. Septembr.

7. *Willo*, subrogatus Uthoni, præfuit annis tribus. Discessit anno 1085. Nonis Julij.

8. *Thiemo*, ex Diacono fit Abbas. Præfuit 9. annis. Obijt anno 1094. Dedit monasterio prædium suum in villa Dornbach Dornbach situm.

9. *Gumboldus*, è S. Emerani Ratisbonensi cœnobio assumptus, præfuit annis ferè 18. Conciderat sub hoc omnis penè disciplina, ab Othone tandem sancto Episcopo restituta & denuo instaurata. Dicitur condidisse & adornasse prædium *Gumboldi* *Gumper-*  
ni fontis, quod est infra cœnobium, in amenissimo loco situm, *tinus fons.*  
non procul à confufluxu Mœni & Pegnesi fluviorum. Resignavit

Rr 3

anno

anno 1112. senio gravatus, retenta pensione, in vitam reliquam sufficiente.

10. *Wolframus*, vir nobilis, natione Bavarus, ex Hirsfaugiensi monasterio, cum quinque alijs eximie doctis & vitæ integritate maxime conspicuis monachis accitus, successit Gumboldo, concorditer post Episcopi commendationem electus; ab ipso Episcopo Sancto Othone, cœnobii reformatore & renovatore, solenniter ordinatur 18. Kalendarum Aprilis. Sub hoc Abbate novus & religione plenus ordo Hirsfaugiensis introductus est, aboliò prius omnino remisso & dissoluto more Amorbacensium. Sub eodem item ita auctum est cœnobiùm à S. Othone Episcopo, ut 70. monachi simul & eodem tempore in eo alerentur: de qua re talis extat S. Othonis epistola ad Abbates sibi subiectos.

*Multi  
Abbates.*

Otho Dei gratia, Babenbergensis Ecclesiæ minister humilis, Venerabili fratri Wolframo Abbati S. Michaelis, Wigando Tharisiensi, Baldewino Bancensi, Eggcardo Vraugiensi, Imbriconi Michelfeldensi, Balduino de Endesdorff, Erboni de Pruevingen, Friderico de Gengenbach, Eberhardo Schuttorensi, Othoni Steinenfi, Luitgero de Regenstorff, Ingrammo de Arnoldstein, præposito de Klunickhe, præposito de Hosterhoven, & omnibus sub ipsis pie conversantibus, salutem & perseverantem in Dei voluntate famulatum. Cum primum pastoralis curæ regimen quamvis indigni suscepimus, monasteria Ecclesiæ nostræ subdita, qualiter in monachica religione disposita essent, diligenter attendimus: sed omnia à disciplinæ suæ rigore nimis resoluta invenimus, quod moleste ferentes, ac dispositioni nostræ incautum existimantes diu multumque laboravimus, fuis ad Deum precibus, ut per divinam providentiam, quæ in sui dispositione non fallitur, commutaretur in melius. Tandem Deus virtutum (cuius est totum, quod est optimum) vota respiciens humilium, in omnibus monasteriis nostris religionis præstitit augmentum. Quia vos gregi suo pastores idoneos elegit, ac fratrum vestrorum numerum in sancta conversatione multiplicavit, quod in vicino S. Michaelis monte ostenditur. Quia dum non plus quam viginti fratres, & eosdem sub tenui disciplina invenimus,



nimus, jam, Deo gratia, plusquam septuaginta ibi cernimus, absque his, qui honeste conversantur extrinsecus. Unde nos non mediocriter lætificati, omnes vos prælatos ac subditos in charitate sancta appellamus, omnium vestrum pedibus humiliati, in Deo & per Deum obsecrantes, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, & religionis vestræ ac regularis disciplinæ vigorem alii succedentes aliis hæreditario jure in longitudinem dierum conservetis. In memoriam ergo tam salubris exhortationis addimus decretum nostræ Episcopalis confirmationis dirigendum, transcribendum, relegendum singulis monasteriis, monasticæ religionis spirituales militiam, Deo placitam, hominibus acceptam, celebrem Angelis, terribilem hostibus, ut jam per omnia cœnobia nostra sub auctoritate Spiritus sancti renovavimus & instituimus, sic deinceps integram illibatamq; servare sancimus atque decernimus. Commendantes eam sub testimonio Christi & Ecclesiæ, vobis electis rectoribus ac dilectis fratribus, per vos nihilominus commendandam omnibus vestris successoribus. De cetero in nomine Domini vobis benedicimus: testis enim mihi est Deus, quoniam cupiam omnes vos in visceribus Christi, Amen.

Wolframus iste Abbas, studiosissimus congerendæ Bibliothecæ fuit, qui habuit sub se monachos Frutolphum, Thimoneum & Heroldum, strenuos librorum scriptores, per quos Bibliotheca egregie crevit & aucta est. Præfuit Abbas iste annis undecim. Obiit anno 1123. undecima Kalend. Novembrium. Sepelitur in sacristia vel adytis templi ante aram S. Martini. Huic dono dedit S. Otho secundus hujus loci fundator prædium in villa, Gestingshausen dicta, emtum à Gerwico de Wiltperg ejusque fratre Conrado centum & octoginta talentis. Dedit item prædium Altenholzfeldt, quod prius fuerat Adeloldi Walpotonis: decimas item Ecclesiæ in Gertenrode: Bertholdus vero, Comes de Wertheim, dedit allodia sua apud Richebach & Tragesholdesdorff & Tanckenhoffe. Domina Adelheidis de Wartbrech, nobilis conjunx Conradi, Comitis de Bertholfundennemburch, donodedit S. Michaeli pagos Weltersdorff, Grube, Masbach, Wichstein, Gruntanne, Drogenesreut, quæ antea fuerant  
Henrici

Gestings-  
hausen-  
Altenhol-  
feld.

Henrici de Bibera. Testis inter ceteros multos Bertholdus, Comes de Plassenberge. Factum id sub Egilberto, humilimo Episcopo Babenbergensi, anno 1146.

11. *Hermannus* eligitur anno 1123. Præfuit annis 24. summa cum laude & utilitate. Obiit anno 1147. quarto Kalend. Decemb. Sepelitur ante aram S. Petri. Sub eo constructa est ab ipso S. Othone Episcopo cella S. Fidis, quam prædiis multis dotatam donavit monasterio, ut ibidem jugiter septem fratres & duo conversi divinis laudibus insistant: factum id anno 1136. Auxit Abbas hic Bibliothecam innumeris voluminibus. Condidit facellum supra portam majorem & dedicavit id anno 1141. Sanctæ Trinitati. Emit 150. marcis prædia parentum suorum apud Urdorsum & Sulztall, à tribus fratribus suis, Henrico, Meginhardo, Gotfrido, & sorore Juditha, & obtulit per manus fratrum suorum super aram S. Michaelis. Factum id anno 1136. regnante Lothario. Testes sunt Bertholdus Comes de Plassenberg, Raboto Comes de Lutembach, Poppo de Goswinstein, Petro de Wesentau, & filius Heerdegenius. Megengofus, Eckhenhardus & Constantinus de Auffaze, Meginhardus Pragensis Episcopus dedit Chunigsfeld. Sub hoc Abbate mirifice crevit & dilatatum est cœnobium Montis monachorum. Arnoldus de Chunstāt pro filia sua Bertrada dedit prædium Fullebacense.

12. *Helmericus* subrogatur anno 1147. Præfuit 13. annis. Cessit anno 1160. quo etiam decessit quarta Iduum Decembris. Donatur à Chuniberto de Thurstat prædiis aliquot anno 1157. Consequutus est privilegium summæ immunitatis, ad instar Canonicorum summæ Basilicæ ab Episcopo Eberhardo secundo. Donatur à Bertholdo, Comite Schwartzenburgio, abituro in expeditionem Hierosolymitanam, bonis quibusdam in Dobersee & Lefen.

13. *Irmbertus*, ab aliis Imbricus dictus, de monasterio S. Blasii Admontensi assumtus, præficitur anno 1160. Præfuit annis duodecim fere. Obiit anno 1172. duodecima KL. Januarii. Sub eo dedicatum est S. Triadi & beatæ Mariæ & S. Georgio summa ara.

14. Wol-

Cella S.  
Fidis.

Urberff.  
Sulztall.

Fullebach.

Dobersee.  
Lefen.

14. *Wolframus* secundus successit *Irmberto* anno 1172. Præfuit annis 29. Collectus est ad patres suos anno 1201. Consecutus est à *Papa Clemente III.* usum annuli, pontificatus ejus anno secundo. Impetravit & usum mitræ à *Papa Alexandro III. Victorii.* Usum vero *Insulæ* & sibi & successoribus suis à *Papa Lucio III.* Primus itaque hujus loci *Abbas* *insulatus.* Donatur ab *Heidenrico de Liechtenfels,* ministeriali *Ducis de Meran,* prædium in *Lutendorff* sito. *Beringerus* vero, civis quidam *Bambergenis,* dedit ei parochialem Ecclesiam *S. Jacobi* in *Stettin,* quam ipse ex concessione *Sigefridi Caminensis Episcopi,* & *Ducis Pomeranorum Boguslai,* ædificarat: factum id est anno Domini 1187. imperante *Friderico.* Sub eodem Abbate dedit *Boguslaus Dux Stettinensis, Pomeranorum & Sclavorum,* gratitudinis ergo pro conversa ad *Christum Pomerania* ad tumbam *S. Othonis* singulis annis, ex omnibus tabernis terræ *Pomeranorum,* singulos lapides (certum id est pondus 26. librarum) ceræ, ut est in hoc scripto:

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, *Boguslaus, Dei gratia Pomeranorum & Sclavorum Dux:* Notum esse cupimus sanctæ universitati fidelium tam præsentium, quam & futurorum, quoniam ex petitione & instinctu patris nostri, venerandi *Pomeranorum Episcopi, Domini Conradi,* simulq; ex petitione fratrum monachorum cœnobii *S. Michaelis* in *Babenberga,* decrevimus donandum annuatim de cera pondus, quod vulgo lapis certe dicitur, ex singulis terræ nostræ tabernis, de majoribus quidem integrum, de minoribus vero dimidium, in usum ejusdem Ecclesiæ *S. Michaelis* ad sepulchrum beatæ memoriæ *Othonis Episcopi,* gentis nostræ *Apostoli,* ob remedium animæ nostræ fratrisq; nostri *Casimari,* simulq; uxoris ac filiorum omniumq; successorum nostrorum, obtentu orationis ac fraternitatis fratrum ejusdem loci nunc & in perpetuum. Et, ut hæc traditio nostra stabilis & inconvulsa futuris temporibus permaneat, eam sigilli nostri pariterq; præfati *Domini Conradi Episcopi* sigilli impressione, ejusdemq; terribilis *Banni* interminatione muniri fecimus. Et quod hanc donationem contulimus præ-

Ss

diætæ

dictæ Ecclesiæ & sepulchro præfati Domini Othonis Episcopi lumen continuum, hanc minuentes vel temere infringentes careant æternæ vitæ lumine nunc & per omnia secula seculorum. Actum Domini anno 1182. Hanc ipsam donationem Sigewinus, Episcopus Caminensis, confirmavit.

15. *Ulricus* subrogatur Wolframo anno 1201. Sedit annis

Heidings-  
feld.

Eringen-  
reut.

12. Resignavit & abiit ad alium locum. Dedit monasterio Wald-  
fassensi aream unam in oppido Heidingsfelde. Huic dono de-  
dit Otho, Dux Meroniæ & Comes Palatinus Burgundiæ, Win-  
deschenhaugiam & Eringenreut villam cum attinentiis omni-  
bus, pro se & Beatrice uxore & filiabus suis anno Domini 1223.  
Testes sunt Henricus de Schawenberg, Fridericus Judex de Blaf-  
fenberg, Eberhardus de Kindefperg, Rudegerus de Hirsberg.

16. *Heroldus* creatur Abbas anno Domini 1212. Sedit an-  
nis pene 10. & resignans anno Domini 1221. discessit alio: cui  
successit illico

17. *Hartungus*, qui præfuit annis 17. Hunc Gregorius IX.  
P. M. suscepit in protectionem S. Petri anno 1235. Huic ipsi  
Domina quoq; Anastasia, Pomeranorum Ducissa, confirmavit  
donationem factam per Boguslaum filium ejus misere decum-  
bentem & morientem in Prioratu S. Jacobi Stettinensi anno Do-  
mini 1220.

18. *Utbo* Hartungo, ad patres suos translato, successit. Præ-  
fuit vix per unius saltem anni breve spacium, & cessit anno Do-  
mini 1238. Construxit mox templum parochiale in curia villæ  
superioris Heid, consensu Hermannii Episcopi Herbipolensis.

19. *Fridericus* instituitur Abbas anno Domini 1238. Præfuit  
annis pene 30. Resignat senio confectus anno Domini 1267. Sub  
hoc & antecessoribus aliquibus Abbatibus ad tantam pervenit e-  
gestatem monasterium, ut facultates non sufficerent ad repara-  
tionem saltem tectorum: unde Hermannus, Episcopus Herbi-  
polensis, 30. dierum datis indulgentiis his, qui præstarent elee-  
mosynas, mediocriter cænobii vires iterum auxit anno Domini  
1238. Hac nundinatione adjutus recuperavit plurima.

20. *Ulri-*

20. *Ulricus* successit Friderico anno 1267. Sedit annis 28. Ambulavit viam universæ carnis anno Domini 1295. Habuit benefactorem Bertholdum, Episcopum Bambergensem & Comitem Liningensem, qui datis indulgentiis adjuvit cœnobium unâ cum Episcopis, Friderico Salisburgensi, Petro Pataviensi, Leone Ratisbonensi, Theoderico Gurcensi, Joanne Cumeni, & Werenhero Secoviensi anno 1280. Habuit & Arnoldum Episcopum, Comitem de Solms beneficium, qui dedit indulgentias ad monasterii collapsi instaurationem anno salutis 1295. quo & Abbas & Episcopus obierunt.

21. *Eberhardus* primus subrogatur Ulrico. Præfuit annis 10. Obiit anno 1305. Sepelitur post aram S. Catharinæ, in sacello beatae virginis Mariæ. Sub eo Otho, Dux Stetiniensis, Sclavorum & Castubiæ Dominus, resignavit monasterio jus patronatus super Prioratu S. Jacobi in Stettin, & universaliter appropriavit anno 1300. Consequutus est confirmationem omnium suorum privilegiorum à Papa Joanne 22.

22. *Volcoldus* præfuit annis ferè sex. Obiit anno Domini 1311. Sepelitur in medio Capitolii, loco qui Abtforen dicitur. Emit à Wolframo, Ludovico & Hermanno fratribus de Rotenhan ac Sophia matre eorum decimas in villa Viheriet, & curias quasdam & mansos quosdam. Dedit Dominæ Agneti, Abbatissæ monasterii B. Mariæ virginis in Sunnensfeld Ordinis Cisterciensis villam Neuses cum omnibus suis pertinentiis jure hereditario. Huic dedit Wulfgangus Episcopus Ecclesiam parochialem S. Joannis Baptistæ in Utzingen anno 1311. confirmans ejusdem tandem Ecclesiæ incorporationem anno 1313.

*Wibreit.*

*Sunnensfeld Cœnobium. Neuses.*

23. *Eberardus* secundus præfuit annis 13. Obiit anno 1324. Nona Kalend. Januarii. Sepelitur ante aram S. Nicolai confessoris in sepultura fratrum. Acquisivit multas vineas ab Henrico de Schweisdorff, paroco in Rodheim, anno 1321. domum item in Ochsenfurt, Bosphoro Francico, datam ab eodem paroco anno 1330. quo obiit parochus idem, sepultus in Paradiso Montis monachorum, in ipso ingressu Ecclesiæ. Multa emit, præsertim hortos & vineas, ab Eberhardo Fuchs & Henrico de Libsberg.

Ss 2

24. *Hen-*

24. *Hermannus* eligitur anno 1324. Præfuit annis quasi decem. Obiit anno 1334. quarta Id. Aprilis. Sepelitur in capitulo. Sub eo facta est anno Domini 1328. magna & preciosa crux Christi. Condidit idem aras Paradisi anno 1331.

25. *Waltherus*, nobilis vir de Stolzenrode, præfuit annis 16. Obiit anno 1350. Nona KL. Decembrium. Sepelitur ante aram decem millium Martyrum in Capitolio, quod ipse construxit. Habuit valde beneficium Barnimum, Pomeraniæ, Stettini, Sclavorum & Cassubiorum Ducem, anno 1346.

26. *Diedericus*, vir nobilis de Wifentaw, Ostrofrancus, insignitur pastoralis infula anno 1350. Præfuit annis 15. Obiit in Calendis Aprilibus anni 1365. Sepelitur ante aram S. Dorotheæ. Multa emit utilia.

27. *Otho*, cognomento *Vulpes*, ex nobili Ostrofrancorum familia natus, præfuit annis 22. laudabiliter. Obiit in Idibus Novembris anni Domini 1387. Sepelitur inter patrem & matrem, dulci nimirum & grato loco, ante aram S. Cathæ. Emit castrum Helfenrode à Domina Gertrude, Eberhardi à Gich uxore, pro 600. libris Hallensibus cum attinentiis. Sub eo vixit & obiit in Monte monachorum Waltherus, Episcopus Nicopolitanus, ante aram S. Stephani à se fundatam ac dotatam humatus. Fuit opt. œconomus & cœnobii locupletator studiosissimus.

28. *Wilhelmus de Wolfferstorff* adeptus est regimen Abbatiæ anno 1387. Præfuit annis ferè octodecim. Obiit anno 1405. sexto Iduum Aprilis. Sepelitur in medio Capitolii.

29. *Lambertus Zolner*, Titionum gentis, patria Bamberg. præfuit annis 26. Obiit anno 1431. in loco capitulari sepultus. Sub hoc Abbate dono dedit cœnobio aliquid pecuniarum Eringus, archiepiscopus Ecclesiæ Anaversensis, Antonii de Rotenhan Episcopi Bambergensis suffraganeus, monachus antea Ebracenensis, sepultus in sacello S. Bartholomæi.

30. *Hermannus de Romrode* confirmatur ab Eugenio IV. Præfuit annis quatuor. Huic restituit Fridericus Episcopus insulam, vulgo Den Abtswerd dictam, & aquam Redwiz à ponte inferiori usque ad bellum fontem.

31. *Joannes Fuchsus* eligitur 9. Maij, anno Domini 1435. Homo prodigus omnia absumsit, omnia impignoravit. Habuit infestum & adversantem Antonium de Rotenhan Episcopum, à quo aliquamdiu in carcere detentus esse legitur: tandem vero manumissus ad Prioratum Stetinensem relegatus est; demum Ratisbonæ apud Scotos ad S. Jacobum exulavit. Postremo Viennæ moritur anno Domini 1450.

Anno Domini 1435. in vigilia S. Joannis Baptistæ cives Bambergenses seditiosi in Episcopum Antonium & totum cle-  
*Seditio Bamber-  
gensium  
civium.*  
 rum, manu valida & armata portas hujus monasterii effregere & totum monachorum Montem hostiliter occupantes ducentos milites in cœnobium collocarunt. Die vero Sabbato post Joannis Baptistæ festum, direpto ac spoliato cœnobio, mox omnes etiam ejusdem munitiones fregerunt ac funditus deleverunt. Bibliothecam ac omnia cætera preciosiora avehi curarunt interq; sese distribuerunt. Capitanei ac duces furentium civium erant viri consulares, Nicolaus Haller, Conradus Ortenius & Fridericus Schieckius. Die Dominica post festum Joannis Baptistæ misit Dominus Abbas nuncios ad consules civitatis, rogans, ut ascenderent aliqui de potioribus civitatis & viderent, quid ageretur in cœnobio à seditiosis ipsorum subditis. Venerunt itaque Eberhardus Klieber & Henricus Dockler, qui, cum apud seditiosum vulgus nec monendo nec hortando quidquam efficere possent, in urbem redierunt. Abbas secessit ex monasterio, quod ipsi cives jam omnibus rebus exuerant ac spoliarant, & in eo omnia penè vastarant, turribus etiam ac domibus contractis soloque æquatis. Fecit tunc temporis Abbatia Montis in mobili-  
 bustantum rebus jacturam decem millium aureorum.

32. *Conradus Wanbacher* constituitur administrator cœnobii anno Domini 1450. qui eo ipso anno mox decessit ex hac mortali vita, in vigilia S. Catharinæ. Condidit chorum facelli B. virginis Mariæ.

33. *Hartungus Pfersfelder*, ex Michelsfeldo assumptus, suscepit Abbatiae curam anno Domini 1450. Is plurima impignorasse legitur.

34. Joan-

34. *Joannes*, Episcopus *Acconensis* & suffraganeus Ecclesie *Babenbergensis*, ordinis fratrum *Augustinienſium*, professus in conventu *Noribergensi*, postulatur ad gubernaculum Abbatie à fratribus inter sese de electione contendentibus singulariq; amaritudinis zelo ductis, statim post discessum Domini *Hartungi*, anno videlicet Domini 1453. Confirmatur à *Nicolao V. Pont. Max.* in perpetuum ejus administratorem. Præfuit annis fere 12. sed parum utiliter. Exauctoratur auctoritate *Pii II.* Data est tamen ei pensio annua ducentorum florenorum per annos adhuc 11. quibus superstes mansit. Obiit anno 1475. in die *S. Marci Evangelistæ*. Sepelitur in sacello *B. Virginis*. Fecerat confirmari privilegia omnia ab imperatore *Friderico III.* Commutavit castrum *Ebelspach* pro *Auracensi* arce cum Episcopo *Georgio* à *Schaumberg*. Sub eo reformatum est cœnobium à *Georgio* eodem hoc Episcopo, ut mandaverat ei *Pius II. Pontif. Max.* in Bulla, quæ scripta est anno Domini 1461. Romæ, ubi facti ei potestatem reformandorum omnium suæ terræ & dioceseos monasteriorum, quæ reformavit ille per *D. Guntherum*, laudabilem Abbatem monasterii *S. Petri* in *Erfordia*.

Fugitivi  
& juraces  
Monachi.

Anno 1464. aufugerunt ex monasterio 4. monachi, auferentes unâ secum *Insulam* & baculum pastoralem, aliaque preciosiora clinodia magni valoris: contra quos magnum misit processum Episcopus *Georgius*, auctoritate Imperatoris *Friderici* fretus. Post executionem hujus processus, repertus fuit *Henricus Fuchs* in castro *Walpurg* tutor & defensor fugitivorum monachorum, quos sacrilegos ille non solum hospitio exceperat, sed clinodia etiam distrahere & vendere præsumserat: unde ab Episcopo *Georgio* auctoritate Apostolica excommunicatus est. Sed ab Abbate ad *Scotos Herbipolenses* *Thadæo* absolutus, Romam citatur, ubi, cum non compareret, denuo est excommunicatus, aggravatus, & reagravatus: sed omnia frustra. *Fuchus* enim nec Episcopum nec Pontificem metuebat. Monachi vero fugitivi nusquam sunt inventi.

35. *Eberhardus de Vennlo*, ex monasterio *S. Jacobi Moguntinensi* translatus per *Dominum Pium* Papam, cooperante Episcopo



scopo Georgio Schaumburgio, Abbas Montis monachorum ordinatur anno Domini 1463. qui tanquam lux cœlitus demissa omnem caliginem tenebrôsæ deformationis hujus loci in spiritualibus & temporalibus, Dei auxilio fretus, mirifice deterfit, & omni morum honestate regularisq; observantiæ decore de novo illustravit: idq; revera non sine maximo labore ac periculo. Præfuit annis ferè 11. laudabiliter, feliciter & utiliter. Primus, qui assumfit ignobiles genere: modo nobiles essent virtute & literis, cætera non perinde curans. Sub eo cœpit reformatio, introducta à Georgio, Episcopo Babenbergensis Ecclesiæ laudatissimo. Solvit debita trium millium aureorum ab antecessoribus confecta. Construxit de novo domum hospitum mille & quingentis aureis, duas cellas seu promptuaria testudinata, utrumque dormitorium, tectum chori cum tabulis plumbeis in forma Crucis, idque trecentis aureis, duo refectoria, hibernum & æstivum, & alia plurima extra & intra cœnobium. Deposuit sarcinam corruptibilis vitæ anno 1475. Sepelitur in medio chori ante aram S. Benedicti.

36. *Udalricus*, cognomento *Haug*, successit Eberhardo Abbati in die S. Ulrici. Præfuit 9. annis, reformationis ab antecessore innovatæ studiosus ac strenuus defensor & executor. Obiit in die Purificationis Marianæ anno 1483. Sepelitur honorifice ad aram S. Ulrici. Construxit novam Abbatiam & alia præclara ædificia plurima: varias item aras. Auxit & Bibliothecam studiosa coemitione plurimorum voluminum, in hunc etiam diem præsentium.

37. *Andreas*, ex vicino oppido Staffelstein oriundus, liberaliter doctus, subrogatur Ulrico anno Domini 1483. ipsa die S. Dorotheæ, vir morum probitate, bonorum operum meritis clarus. Reparavit tectum Ecclesiæ, quod totum ex plumbo factum est, ad quod usurpati sunt mille & quingenti centenarii lapides plumbi. Condidit anno 1492. novum dormitorium & locum Capitularem ex imis fundamentis: corruerat enim pars veteris dormitorii decima nona Aprilis. Ambitum item testudine concameravit, multaq; alia ornamenta ecclesiastica adornari fecit.

Fodit

Ratels-  
dorff.

Fodit multas piscinas, unam vero permagnam prope Ratelsdorffum. Auxit Bibliothecam. Organon vero novum construi fecit anno 1490. quod constitit 424. florenis. Conscripsit magnum opus Canonifatorum ex ordine D. Benedicti, Pontificum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum & Abbatissarum cum singulorum actis ac legendis: historiam item & vitam S. Othonis Episcopi quatuor libris ad illustrissimum Principem Pomeranorum, Boguslaum: tractatum item de conceptu Virginali, & alia plurima. Præfuit annis 20. summa cum laude, Abbatum omnium hujus loci merito præcipuus appellandus. Obiit anno Domini 1502. Kal. Novembris 10. Sepelitur ante chorum ad aram S. Wolffgangi à se conditam.

38. *Wolfgangus Prechtlin* eligitur anno 1502. Præfuit 3. tantum annis. Obiit in Martio anni Christianorum 1505. Fuit Abbas eximie doctus, artium Philosophiæ Magister Lipsiensis, vir eloquens, gravis, morum elegantia & omnium virtutum ornamentis, religionis vero summo studio coruscans. Sepelitur extra chorum ante imaginem Misericordiæ Domini.

39. *Joannes Helmius* de Heelb successit anno Domini 1505. Condidit facellum ambitus & alteram partem ambitus absolvit, pistrinum item ex lapide cocto. Præfuit annis 17. Sub eo periiit magna pars civitatis incendio anno 1506. de qua insigni calamitate extant hi sequentes versiculi.

*Annus erat Christi sextus post mille remensus,  
Et post quingentos, & nox infausta trahabat  
Augusti septimam: Bambergæ surgere flammam  
Incustoditam vigiles simul ore sonoro  
Profundam in noctem clamant: sed dum pavor omnes  
Occupat & redeunt animi, vorat altior ignis  
Quinquaginta domos, quicquid circumjacet, ambos  
Pontes, tam brevis res & fortuna virorum  
Interit, & nuda pro paupertate morientur.  
Causa mali famulus mole, quæ pontibus ipsis  
Adjacet. Is vino totus resolutus & errans,  
Ædibus improvidus, tantos excuscat ignes.*

Obiit

Obiit anno 1522. in die S. Chunigundis, iturus ad missam celebrandam, in ipsa cella Domini Prioris.

40. *Joannes Suttnerus*, alias *Grass* dictus, Babenbergensis patria, successit. Præfuit vero annis novem. Obiit anno Domini 1531. die 24. Maij, Theologicarum rerum & doctrinarum studiosissimus inquisitor. Ejicitur à seditiosis rusticis anno 1525. sed post duos menses restituitur à magistratibus ac Principibus Germanicis Suevici fœderis. Spoliatus & contractas cœnobii res mediocriter instauravit. Inventus est mortuus in Abbatis cubiculo anno ætatis suæ 43. sublatu nimirum apoplexia. Sepelitur prope Abbatem *Wolfgangum*. Multa construxit præclara.

41. *Martinus Seilichius*, cognomento *Francus*, eligitur à Conventu anno Domini 1531. Erat fabri cujusdam Bambergensis filius. Sedit annis octo satis utiliter. Obiit ætatis suæ anno 40. Sepelitur ante chorum prope aram S. Ulrici. Refecit de novo pontem *Rattelsdorffensem* 300. aureis supra *Ithesin* fluvium: construens alia etiam multa.

42. *Georgius Adamus*, tegularii cujusdam in *Hallstatt* vicino oppidulo ad *Mœnum* amnem sito filius, monachus doctus in sacris & prophanis literis, morum item honestate & integritate conspicuus, mathematicum studiosus investigator, & solariorum omnisq; generis horologiorum compositor ingeniosissimus: bonus scriba, & qui eleganter literas pingere potuit. Pacis & concordie egregius interpres, & merito *Pacificator* appellandus, ita discordiarum sopitor diligens & solers. Invenit cœnobium undecim millium aureorum debitis obæratum, cujus conflati æris alieni maximam partem prudenti sua gubernatione exsolvit, totumq; monasterium tam ædificiis, quàm omnis generis ornamentis præclare illustravit. Præfuit 10. annis. Obiit 24. Aprilis anno Domini 1549. Sepelitur in ambitu ante aram S. Othonis Episcopi à se constructam.

43. *Wolfgangus Zenckius*, patria Babenbergensis, successit *Georgio*, electus anno ætatis suæ 32. Dominus humanitate & bonis moribus nemini antecessorum postponendus. Præsides  
Tt hoc

hoc currente adhuc Jubilæo, vir procerus, affabilis, hospitalis & munificus, diligensq; rerum sibi commendatarum curator.

**M**ULBRUNNUM, Maulbrunn/monasterium Cisterciensis ordinis magnificum ac præpotens, in Ducatu Wirtenbergensi, pene medio itinere inter Phorzenheimium Marchionum Badensium & Brettam Palatinorū civitates in maxime fertili solo situm, & à proximo fonte sic nominatū, fundatum est 18. Kalend. Aprilis, anno Christi 1138. à Reverendissimo in Christo patre ac Domino, Domino Gunthero, Comite Liningensi & Episcopo Spirensi. Contulit vero ad ejusdem cœnobii exædificationem & foundationem nonnihil etiam nobilis vir, Dominus Waltherus de Lammersheim, prædium videlicet Eckhenwier, in quo coeptum est initio cœnobium fundari, sed ob loci angustiam a quarumq; defectum alibi postea inchoatum & constructum. Ille nobilis Baro Waltherus relicto seculo & habitu monastico assumpto mansit in monasterio, sub obedientia vivens ad dies vitæ suæ: sepultus in medio Ecclesiæ, choro videlicet Conventorum. Guntherus autem, Spirensis Episcopus, verum fidumq; se fundatorem & patronum exhibuit. Consentiente enim capitulo majoris Ecclesiæ Spirensis villas & curtes monasterio donavit, auxilium & consilium præstans, ut novella plantatio ad Dei servitium dietim posset adolefcere. Et ille idem Reverendissimus Præsul, sicut in vita dilexit & fovit monasterium, ita post mortem etiam voluit in eo sepeliri. Sepultus est vero in choro Basilicæ Mulbrunnensis, cujus epitaphion lapidi incisum tale est:

Walt-  
rum à  
Lammers-  
heim.  
Eckhenwier.

Gun-  
therus, Epi-  
scopus.

*Præsul Guntherus, pater est fundamini hujus.*

Anniversarius ejus dies singulis annis ab Abbate & Conventu solenniter celebratur 17. Kal. Septembr. Ad latus ejus, etiam in choro sepultus est Reverendissimus D. Ulricus, Episcopus Spirensis, cum tali epitaphio:

*Ulricus positus Spirensis Episcopus hic est.*

Integrum ejus loci Abbatum catalogum hætenus habere non potui, præcipuos tamen aliquos, quorum nomina ad meam notitiam pervenerunt, omittendos nequaquam duxi, quos pro-

xiiii